



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 11. S. Sabini epistola Pado flumini scripta. quàm fuerit potens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

tani, frementes scilicet, indomitos fluctus,  
atque vndarum moles, montésq; gurgitum  
elatissimos littoribus inferri, verétes, quod  
iam partim euenisce cernebát, ne totum op-  
pidum funditus subuerteretur, ingressi sunt  
ad Hilarionem, &, quasi Ducem ad præliū  
comitantes, cum in littore posuerunt. Qui  
cùm tria crucis signa pinxit in sabulo, ma-  
nusq; contrà tenderet, incredibile dictu est,  
in quantam altitudinem intumescens ma-  
re ante eum steterit: ac diu tremēs, & quasi  
ad obicem indignans, paulatim insemetipsū  
relapsus sit. Vides híc caussā, ob quā mun-  
di Gubernator mari potestatem fecerit, fi-  
nes suos transiliendi? Sic suam, sic Sæcti sui,  
sic crucis patefecit vim ac potestatem; sic fi-  
dem propagauit; sic Ecclesiam auxit; sic fi-  
duciam hominibus attulit, vt, in omni peri-  
culo, discerent ad diuinum confugere au-  
xiliatorem, neque Diuorum patrocinia a-  
spernarentur.

§. XI.

S. Sabini epistola Pado flumini scripta, quam  
fuerit potens?

Similem in aquis potentiam, Attala Ab-  
bas, apud Ferrarium, ostendit. Similem de  
Sabino Placentinorum Episcopo testatam  
reddit,

Ferrari.  
Martij.

S. Greg. I. reddit D. Gregorius. *Ei enim, dum die qua-*  
*z. cap. 10. dam, suis diaconus nuntiasset, quod cursus sui*  
*dialog.* *Padus alueum egressus Ecclesiae agros occupasset,*  
*totaq; illic loca nutriedis seminibus profutura,*  
*aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vita*  
*Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, & die*  
*ei; Mandat tibi Episcopus, ut te compescas, &*  
*ad proprium alueum redeas. Quod Diaconus*  
*eius audiens, despexit, & irrisit. Tunc vir Dei*  
*accersito Notario dictauit, dicens: Sabinus Do-*  
*mini IESV Christi seruus cōmonitorium Pado:*  
*Præcipio tibi, in nomine IESV Christi Domini*  
*nostri, ut de alueo tuo, in locis istis, ulterius non*  
*excas, nec terras Ecclesiae ladere præsumas. Atq;*  
*eidem Notario subiungit, dices: Vade, hoc scribe,*  
*& in aquam eiusdem fluminis proyce. Quo fa-*  
*cto, sancti viri præceptum suscipiens, statim se*  
*terrī Ecclesiae fluminis aqua compescuit, atq;*  
*ad proprium alueum reuersa, exire ulterius in*  
*loca eadē non præsumpsit. Quia in re, Petre, quid*  
*aliud, quam inobedientium hominum duritia*  
*confunditur, quando in virtute IESV, & ele-*  
*mentum irrationalib[us] sancti viri præceptis obe-*  
*dinit? Cur non obediret quoque hoc ele-*  
*mētum ipsi DEO, inobedientibus irascenti,*  
*atque aquas, de alueis suis in eos, agminis*  
*instar, emittenti? Punit justè flammis, cur*  
*iniquè*

aquarum damnis, laudabilem esse. 182

iniquè plectat vndis? cùm sit Dominus  
vtriusque elementi.

### C A P V T . VIII.

*Aquas mortalibus nocentes, esse Dei iu-  
stissimè punientis instrumenta; ac sèpe .I.I. in O.  
etiam velut iudicia, quibus mali à bonis .M.  
discriminantur; sed cum iudicio,  
& nonsine delectu agno-  
scenda.*

§. I.

*Aquarum exorbitantium pericula;  
damna, vituperia.*

**H**inc ad tertiam querelam respon-  
sio datur, quæ duabus prioribus  
suapte natura cohæret. Quippe  
si aquæ sunt, quæ possunt sanita-  
tem lädere; si diluuiia, quæ valent in damna  
hominum excurrere; proclive est cogitare,  
& illas reipsa, & ista nocere; enim uero, et-  
si, meru ipso, grauiter affligant humanam  
solicitudinem, tamen insuper etiam & fu-  
nera facere, atq; alijs extremis malis terræ  
incolas mactare: & eos, qui ad naues con-  
fugiunt, allidere, scopulisque inferre peri-  
turos. Neque enim *sata lata boumque labores,*  
& jumenta dūtaxat diluuijs, sed etiam tota  
ædifi-